

PRAEFATIO

Karel A. de Meyier viri docti, cum propter aetatem anno MCMLXXIII rude donatus esset, tenor vitae cotidianae vix immutatus est; nullo non die impiger ut erat ac sedulus in bibliothecam Academiae se conferebat ut opus suum, catalogum dico Codicum Vossianorum Latinorum ad optatum finem perduceret; quod opus ab omnibus magnum habitum paene solus perfecit. Aestate enim anni MCMLXXIX volumen hoc, quo Vossianorum Latinorum descriptio finem capit, mihi in manus dans petivit ut imagines adderem textumque, sicubi necesse haberem, corrigerem, emendarem. Mutationes nonnullas, quae faciendae videbantur, communiter disputavimus; iamque de addendis et corrigendis inter nos constabat cum mense Maio anni MCMXXX vir egregius animam exhalavit. Ut autem opus vere et proprie suum maneret, amplificatione supersedi; quaecumque igitur viri docti post mortem auctoris publici iuris fecerunt hoc in volumine mentionem facere omisi.

Imaginibus huic volumini insertis id agimus ut quae verba catalogus exhibet illustremus; imago enim, licet modica sit ipsa, saepe documentum maioris momenti est quam sescentorum ambage verborum exprimere possis. Apparatum necnon ornatum litterarum, quas grandes vocant, eo modo magis apertum fieri pro certo habemus; quae ratio nobis lex et norma fuit in exemplis eligendis. Modum scribendi, ut vigeat saeculis nono atque decimo specimina diligenter selecta satis declarare existimamus; antiquiores vero codices cur post Lowe¹ illustrentur non esse putamus, neque cur repetamus quae Lieftinck² publicavit; quae autem exempla usui esse possint indagantibus originem vel historiam librorum manuscriptorum addere non dubitavimus; quibus de rebus lectorem ad Indices reicimus.

Omnis catalogus inquisitioni inservit; catalogus autem ipse componi non potest nisi inquisitoribus adiuvantibus: multi fuerunt qui sive scriptis suis sive praesentes auctori adfuerunt; quorum nomina hic illic in catalogo invenis. Grato libentique animo commemoro Bernhardum Bischoff virum clarissimum, professorem Monacensem qui perbenigne iudicium suum de origine codicum antiquiorum dedit. Duo sunt viri clari quorum nomina in hoc opere in vanum quaeris: Gerardus Lieftinck qui multos per annos codicologiam professus est in hac nostra Academia et Petrus Gumbert eius successor, quorum alter palaeographica perpendit, alter sagaci ingenio hic addidit, hic correxit; uterque numquam non imploratus auxilio fuit. In imaginibus deligendis magna ex parte fisus sum curae ac studio domnae Claudine Chavannes de gente Mazel, in praesentandis astitit Ianus-Willem Klein.

¹ *Codices Latini antiquiores*, ed. by E.A.Lowe, Vol.X, Oxford 1963, pp.40-43.

² G.I.Lieftinck, *Manuscrits datés conservés dans les Pays-Bas*, Vol.I, 1-2, Amsterdam 1964.

Catalogi codicum graecorum et latinorum bibliothecae nostrae lingua Latina scripta sunt; quem morem in describendis Vossianis conservandum auctor censuit; adfuit ei in curanda Latinitate domna Elfride Hulshoff Pol, collega et socia, quae postquam ante octo annos mortem obiit, Adrianus van Heck, in nostra Academia linguam latinam docens, in eius locum libens successit.

P. F. J. Obbema